Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 727
Quelle:
Copyright:

III. *fol.* 34. p. 2. *Augustinus ad Jeronimum. De eo quod scriptum est. Qui totam legem seruauerit. offendat autem in uno. factus est omnium reus.* Epistola haec, seu Liber, T. II. edit. *cit. n.* CLXVII. *col.* 594. legitur hoc initio: *Quod ad te scripsi honorande* &c. Sub ingressum: *nolui illa te onerare quęstione*, sed tamen Edita melius: *nolui alia te onerare quæstione.* Econtra: *Proinde quęro* pro *quæso*, item *quod quomodo salva fiat* pro *quod modum quomodo salva fiat*, cum Codice legendum videtur.

IV. *fol.* 40. p. 2. praevio Prologo *Incipit expositio Ruodberti tucensis* (Tuitiensis) *abbatis super cantica canticorum ad personam Sanctę Marię edita.* Initium Prologi: *Qui contra hominem similem sibi luctatur* &c. Operis: *Osculetur me osculo oris sui. Quę est ista exclamatio* &c. ut edit. *Opp. Venet.* 1749. T. II. p. 373. f. quacum Textus noster mire consentit, nisi quod in Libros et Capita divisus non est, quae cura posterorum fuit. Cum Autor egregius vitam ad an. 1135. produxerit, Exemplar praesens eo etiamdum inter nos agente scribi potuit.

V. *fol.* 128. *Incipit liber Soliloquiorum Ysidori archiepiscopi.* Praefamen adscribam, ut intelligatur, illud, quod *Breulius* in Edit. *Opp. Paris.* 1601. p. 323. Libello *de Contemptu Mundi* praefixit, e nostro corruptum esse. *Uenit nuper ad manus meas quędam scedula cyceronis quam synonima dicunt. cuius formula persuasit animo ut quoddam lamentum mihi uel miseris conderem imitatus pro certo non eius eloquium. sed meum uotum. Quisquis ergo ille es libenter id perlege. et dum aduersitatibus huius mundi tangeris. te ipsum censorio iudicio discute. et statim agnosces quia quęcumque aduersa pateris in hoc seculo. retributione tibi iustissima inferuntur. Duorum autem persone hic inducuntur hominis et rationis. deflentis hominis et rationis consolantis.* Vix putassem, jam *Isidori* aevo extitisse *Synonyma Ciceronis* seu Libellum *de Proprietatibus Terminorum* sub exordia Typographiae non semel impressum. Interim ad haec adludi manifestum facit ipse *Soliloquiorum* stilus, unde passim etiam *Synonymorum* titulo feruntur. Nihil igitur huc facit *Ciceronis* de obitu Filiae Consolatio, quod putabat *Breulius.* At vero propter hunc ipsum stilum frivole tautologicum non semel parum abfuit, quin haec *Soliloquia* ab *Isidoro* abjudicarem, nisi me retinuisset *Ildephonsus* ejus discipulus, cujus quaedam Scripta eodem stilo ad exemplum, ut solet, Magistri extant. Juvabit hac de re praestolari sententiam, quam ferent novi *Isidori* Editores *Romani.* Textus ceterum noster in II. Libros non est divisus, incipit et finit: *Anima mea in angustiis est* &c. *Tu mihi super uitam meam places;* et cum *Breuliano* probe concordat quoad sensus. Rescribendum tamen sub ingressum *Evadendae calamitatis* pro *Luendae*, item *Sic legitimum nihil est*, et continuandum *Sic* pro *Si* &c.

VI.